

IN S I G N I V M

VIRORVM , AC MEDICORVM NOMINA

quorum fauore , & opera

Collegium Medicum Antuerpiæ
institutum & Pharmacia hæc
in lucem edita.

 Aria quidem iustissima edicta, mul-
tifariæ salutares leges ab immemo-
rabi tempore promulgatae, vt fræ-
num Medicastrorum audaciæ inij-
ceretur , & Agyrtarum empyrico-
rum doli , ac imposturæ detergerentur : verum dum
cordatiores Medici, pro salute publica maximè sol-
liciti, hoc genus hominum (vt Tacitus loquitur) publico Lib. 4.
exitio repertum , & pænis quidem numquam satis coercitum, & 17.
Annals .
..... potentibus infidum , sperantibus fallax , in Ciuitate
nostra vñetari semper , & retineri aduertunt; impatiens
tes hoc vnicum (reliquis omnibus quam maximè
politice directis) ad prudentissimi Regiminis com-
plementum requiri, fundato zelo, & laudabili inui-
dia stimulati, tandem desperato huic malo præsen-
tissimum , ac infallibile prorsus remedium Collegij
nempe Medici institutionem, inuenere; & sine mora in
hunc finem D. D. GODEFRIDVM VEREYKEN , &
LA-

LAZARVM MARQVIS P. M. insignes Medicos, Ci-
vitati huic iuramento obstrictos, elegere: atque his
operam nauantibus D. IOANNES FERREVVX Vrbis,
ac Castri Medicus iuratus, ut negotij successum ma-
turret, insignem suam, tanta quanta erat, Biblio-
thecam mille & sex supra decem volumina com-
plete&tentem, futuro Medicorum Collegio per testa-
mentum legat. Grauissimum igitur negotium,
graubus quoque & viris insignioribus D. D. PE-
TRO DAEMS Toparchæ in Noormont, &c.

Anno
1620.

Et IOANNI VAND WOVWERE Scabin. & postea
ærarij Regis Assessori committitur, quorum operâ
& diligentia Anno 1620. die Aprilis 28. *Collegium*
Medicum instauratur, cui pro Superindente ac Pro-
tectorē assignatur Nobiliss. D. HENRICVS VAN
ETTEN, Eques Auratus, &c. in cuius qualitate, &
officio defuncti postmodum successere D. PAVLVS
VAN LIERE Consul Antuerpiensis: Nobiliss. D.
HENRICVS VAN ETTE Scabinus, prioris Henrici
filius: & D. IACOBVS ROELANTS Vrbis huius Pen-
sionarius, & postea in Curia Mechliniensi Consi-
liarius.

Verum, siue quod nouitas omnis nescio quid
odiosi præ se ferat; siue quod corrigi timentes, vt
sanantem ulcerati manum, tam laudabili funda-
tioni clanculis conatibus obfisterent: siue quod
Medicorum frequenti praxi intentorum, fero-
tepesceret,

Non

*Non ceptæ assurgunt turres,
..... Pendent opera interrupta.*

*Virgil. 4.
Enéid.*

Donec tandem Amplissimus ac Consultissimus Dominus GREGORIVS MARTENS, pluries Antuerpiensium Consul & Scabinus, totius Magistratus, omniumque Medicorum voto in Collegij Medici Protectorem electus, serio rem aggressus sit, qui illud collapsum supposito humero erigens, deftuo sum perficiens, perfectum bonis legibus, & salutaribus edictis stabiliens, non minoris utilitatis, quam momenti negotio cunctis viribus incubuit, ac pro communi, quod periclitabatur, bono, scientiam quā prudentissimus sciuit, autoritatem quā Consul potuit, totum denique suum hominem impendit. Nempe Endimiam nouerat hic Medicorum Medicus (indulge sic vocanti) quā correptus sepe incola tam malè habebat, nimiam nempe sciolorum in hac arte licentiam, qua Idiota Doctorem: Pharmacopola Medicum agebat, & barbitonsor vtrumque: nam dum vnicuique sine delecta totum licet, quod lubet; omnes in alienam messem (horrendam illam scilicet in qua homines metunt) fal- cem immittunt: at nunc te, *Vir Amplissime*, & Iudicem, & Medicum agente (nam teste Sebastiano Foxio, vtriusque similitudo est, non tantum pro fessione ipsa, sed etiam munere)

*In Platon:
Republ.
Dialog.*

3.

c

Quod

Horat.

Quod Medicorum est

Promittunt Medici, tractant fabrilia fabri.

Qui ministros Iustitiae in officio continet, multis innocentibus prodest: qui litigia expedita, & sincera reddit, pluribus Orphanis & viduis benefacit; at verò qui tam informem & exitiosam Medicinam reformat, omnes ciues (quoad humanitus fieri potest) seruat incolumes.

Quid iam tanto benefactori totum communis corporis, & singulum eius membrum debeat, vel penes ingratissimum iudicium esto. Marcescentem & Quernis folijs coronam, ob fernatos ciues olim promissam, Patri Patriæ inuidus eripiat; laudabile nomen tuum ideo immortale venerabuntur posteri, quia fragrantissimo honoris & gloriæ Balsamo conditum.

Stati. lib.

I.

Silua. I.

Non hoc imbriferas hyemes opus, aut Iouis ignem
Tergeminum: Aeoly non agmina carceris horret,
Annorumque moras, stabit dum terra, polusque
Dum Romana dies.

Ad Mer-
cella.

Ezechiel.
cap. 47.
v. 12.

Salutem hominibus das, per quod (vt cum Cicerone dicam) propinquius ad ipsos Deos accedis: nam dum ita Medicinam colis, tamquam alteram Vitæ arborem plantas, cuius etiam fructus sunt in cibum, quorum gratissimum saporem sani per Prophylacticam, ægri per Curatricem artem percipiunt: & folia eius in Medicinam, quia rami tanquam brachia expansi sub-

pro-

protectrice sua vmbra om̄nes complectitur : atque
ita cum *causa* etiam sit *causati causa*, non solum Col-
legij Medici Protector es, sed vniuersitatisque in par-
ticulari Patronus ; etenim si sanus existens Docto-
rem conseruantem habeat, tibi debet. Si ægro de
Medico probo, & graduato prouisum, tibi obliga-
tur : denique si alicui ab experto Pharmacopola
sincera offerantur medicamina, tibi gratias referat,
qui in hunc finem (postquam cæteris omnibus
esset abundanter prouisum) hanc, quæ vna deërat,
Pharmaciam, & mandato, & opere promouisti, si-
cuti venerandus quidam Phylomusus per triplex
hoc Chronicum acutè insinuat :

1. SI FLVITIS MEDICI 2. VERÈ DE Con-
sVL Martens
3. FLORIDA BIS PATRIO PHARMACOPEIA
VIRO.

Huius ergo *In Capite Libri scriptum est de te*, nos vero
qui opus sumus executi, sicuti h̄ic magnum no-
men tuum cum respectu, ita vbique, etiam minima
mandata cum humilitate sequemur.

Arist. 2.
Physic. 1.
30.

Ampliss. ac Consultiss. Dominus D.
GREGORIVS MARTENS Vrbis huius cele-
berrimæ pluries Consul & Senator, Collegij
Medici Protector acerrimus, ac fautor egregius.

GVLIELMVS MARQVIS Antuerpiens. La-
zari filius Medicus Vrbis, & Xenodochij Pen-
sionarius, Collegij Medici tertio Præses, praxi,
& stilo clarus.

SIMON DES MARES Mechliniens. Collegij
Medici Assistens.

FRANCISCVS LAVENTIVS Antuerpiës.
Medicus, Collegij Medici Assistens.

IOANNES VAN BVYTEN Liranus Medi-
cus Vrbis, & Chirurgiæ Lector Pensionarius
Collegij Medici Bibliothecarius.

GEORGIVS HOEGAERTS Corbekanus
Medicus Vrbis & Castrí Pensionarius, Collegij
Medici Assistens.

DOMINICVS VANDEN DYCK Antuer-
piensis, Medicus Vrbis Pensionarius, Collegij
Medici Assistens.

MICHAËL BOVDEWYNNS Antuerpiensis.
Medic. & Phylosophiæ Doctor Vrbis Pen-
sarius, Collegij Medici Syndicus.